

INCIPIUNT EPISTOLAE EVARISTI PAPAE DE ORDINE DIACONORUM
ET LEGITIMO CONIUGIO ATQUE DE FIDE ET DE NON INIURANDIS
EPISCOPIS AUT LACERANDIS 25r

Dilectissimis fratribus universis Africae regionis episcopis Evaristus. 1

5 Consulentibus vobis, fratres carissimi, quid super his, quae in vestris contine-
bantur scriptis, visum esset, vel quid docilis ratio persuaderet, aut quid a beatis
apostolis nobis traditum aut custoditum remaneret, optantes, ut retulistis, nostris
instrui documentis, si quidem dilectio vestra normam secuta prudentium ad se-
dem apostolicam referre maluit quasi ad caput, quid deberet de rebus dubiis cu-
10 stodire potius quam usurpatione praesumere.

DE ORDINE SEPTEM DIACONORUM

Diaconi, qui quasi oculi videntur esse episcopi, in unaquaque civitate iuxta 2
apostolorum constituta septem debent esse, qui custodiant episcopum praedican-
tem, ne ipse aut ab insidiatoribus quoquo modo infestetur, aut laedatur a suis aut
15 verba divina detrahendo aut insidiando polluantur vel despiciantur, sed veritas
spiritali redoleat fervore, pax praedicata labiis cum voluntate animi concordet.

Similiter custoditum et traditum habemus, ut uxor legitime viro iungatur. 3

DE LEGITIMO CONIUGIO

Aliter enim legitimum, ut a patribus accepimus et a sanctis apostolis eorumque
20 successoribus traditum invenimus, non fit coniugium, nisi ab his, qui super ipsam
feminam dominationem habere videntur, et a quibus custoditur, uxor petatur et a
parentibus propinquioribus sponsetur et legibus dotetur, et suo tempore sacerdo-
tialiter, ut mos est, cum precibus et oblationibus a sacerdote benedicatur, et a para-
nymphis, ut consuetudo docet, custodita et sociata a proximis tempore congruo
25 petita legibus detur et solemniter accipiatur, et biduo vel triduo orationibus vacent
et castitatem custodiant, ut bonae soboles generentur et domino suis in actibus
placeant. Taliter enim et domino placebunt et filios non spurios, sed legitimos
atque hereditabiles generabunt.

Quapropter, filii carissimi et merito illustres, fide catholica suffragante ita pe- 4 | 25v
30 racta legitima scitote esse coniugia. Aliter vero praesumpta non coniugia, sed aut
adulteria aut contubernia aut stupra vel fornicationes potius quam legitima coni-
ugia esse non dubitate, nisi voluntas propria suffragaverit et vota succurrerint legi-
tima. Nam fructus divinus est praecepta divina custodire. Ea quoque deserere
praesumptionem fieri nulli dubium est. Cur ergo indignum est unitatem ecclesiae
35 custodiri? Idemque omnes pariter et sentiamus et pronuntiemus. Si aliter enim
praesumpta fuerint, perdunt profecto ipsi transgressores seipsos, qui semetipsos
decipiunt. Haec cuncta recitanda per omnes Africanas ecclesias scripta dirigite et
istis connectite, quas adiunximus litteras praefectorum, ut de his, quae inique
laudantur, si quid tale probari poterit, iudicium fiat, et inhibita coerceantur et
40 praeterita mala et illicita coniugia, si doceantur admissa, digna severitate corri-
piantur. De cetero vero caveantur talia per omnes ecclesias, ne ecclesiae sanctitas
per nostram fatigata negligentiam perdat privilegia, quae est per viros venerabiles
consecuta.

22 dotetur] detur et² ... tempore] *marginal rubric:* DE SPONSIS ET SPONSAE BENEDICTIONE
30 legitima] *corrected from* legitime 32 voluntas ... suffragaverit] voluntates proprias suffragaverit
as originally copied; corrected to voluntates propria suffragaverint

- 5 De his vero, quibus ab insidiatoribus fatigamini, unde et nos consulere inter
 cetera voluistis eo, quod sint quidam, qui arbitrantur de patre solo dictum esse, 45
 quia ipse solus habet immortalitatem et lucem habitat inaccessibilem, ita eos
 apostolicis percutite ferulis et divinis redarguite praeceptis. Non enim solus pater
 sine filio lucem inaccessibilem habitat, quia, ubi pater est, ibi etiam filium esse
 indubitabili fide credendum est. Nam si solus pater sine filio, quod dicere nefas
 est, lucem habitat inaccessibilem, necesse est, ut sequestratam pater a filio habeat 50
 mansionem. Quod si ita est, quodam modo idem filius ad dexteram patris adstans
 a beato martyre Stephano dicitur conspici, si pater secundum eos solus dicitur
 sedibus contineri? Absit hoc a sensu fidelium Christo in unitate fidei adhaeren-
 tium, quoniam, sicut non obest filio, cum solus pater dicitur lucem inaccessibilem
 habitare, ita non obsit patri, cum sapientiam, qui est filius, gyrum caeli sola dicitur 55
 circumire. Pater itaque, cum sit invisibilis et ingenitus, in filio visus apostoli
 testimonio comprobatur, et filio a se inenarrabiliter genito mansisse ac requie-
 visse monstratur, ipso filio in propheta loquente: Qui genuit me, requievit in ta-
 bernaculo meo. Et in evangelio: Pater in me manens facit opera haec. Et: Deum
 nemo vidit umquam, nisi unigenitus filius, qui est in sinu patris. Si in sinu patris 60
 erat filius ab initio et ex corde patris verbum bonum eructuatus est, quomodo non
 corde paterno consistens lucem cum eodem inaccessibilem habitasse credendus
 est? Numquid pater absque ulla luce in filio potuit commanere aut in tabernaculo
 filii sine eadem potuit requiescere, cum idem filius candor sit aeternae lucis et
 speculum sine macula deitatis, quam Salomon super salutem suam dilexisse in se 65
 dicit, in cuius speciem semper delectare gestivit: Super salutem et speciem, in-
 quit, dilexi illam, et pro luce proposui habere eam, quoniam inexstinguibile est
 lumen eius. Hanc igitur lucem David propheta desiderans anxius proclamat di-
 cens: Emitte lucem tuam et veritatem tuam. Et iterum: In lumine tuo videbimus
 lumen. In huius igitur luminis claritatem filius seipsum in monte tribus discipulis 70
 praeostendit, qui metu mortis perterriti prostratique in faciem, sibi vitae finem
 adesse senserunt. Hanc, inquam, lucem in se fuisse demonstrans filius proclama-
 bat, et ut in eadem incederent, discipulos praemonebat: Dum lucem habetis, in-
 quit, ambulate in lucem. Et iterum: Ego sum lux huius mundi. Qui sequitur me,
 non ambulabit in tenebris, sed habebit lumen vitae aeternae. Et evangelista: Erat 75
 lux vera, ait, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Si
 haec lux, quae credentibus promittitur, in filio esse probatur et cum aeterno ae-
 terna esse dicitur, quomodo a vobis inaccessibili luce patris filius separatur? Si
 enim filius deus verus et vita aeterna est, sine dubio in hac luce simul cum patre
 habitare credendus est, quam nullus modo nostrum hoc mortali corpore constitu- 80
 tus potest aliquatenus contueri. Sed dum apparuerit, tunc vere illum videbit sicuti
 est, qui eius conspectibus dignus fuerit coaptari, et non sicut Moyses ceterique
 prophetae per enigmata et figuram, sed ipsam veraciter in filio secundum aposto-
 lum, contuebitur deitatis imaginem. Nam si hunc eundemque prophetae testimo-
 nio subsequente sereno mentis intuitu investigare volueris, invenies filium non 85
 posse ab hac luce patris penitus separari, quoniam cum solum filium dixerit in
 terra cum hominibus conversatum, patrem ab illo non fieri alienum.
- 6 Si testimonium enim hominum accipimus, testimonium dei maius est, quoniam
 hoc est testimonium dei, quod maius est, quia testificatus est de filio suo. Qui
 26r credit in filium dei, habet testimonium dei in se, qui non credit in filio, mendacem 90

48 sine] corrected from in 51 quodam] in margin: vel quoniam idem] corrected from id est 52 eos]
 corrected from ut 56 visus] corrected from visum 65 super] corrected from per 71 finem]
 added 80 nostrum] corrected from nostri 85 subsequente] corrected from subsequentem

facit eum, quia non credit in testimonio, quod testificatus est deus de filio suo. Et hoc est testimonium, quoniam vitam aeternam dedit nobis deus, et haec vita in filio eius. Qui habet filium, habet vitam, qui non habet filium dei, non habet vitam. Haec scribo vobis, ut sciatis, quoniam vitam habebitis aeternam, qui creditis in nomine filii dei. Et haec est fiducia, quam habemus ad eum, quia, quodcumque petierimus secundum voluntatem eius, audit nos, et scimus, quia audit nos, quicquid petierimus, scimus, quoniam habemus petitiones, quas postulamus ab eo. Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, et dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roget quis. Omnis iniquitas peccatum est, et est peccatum ad mortem. Scimus, quia omnis, qui natus est ex deo, non peccat, sed generatio dei conservat eum et malignus non tangit eum. Scimus, quoniam ex deo sumus, et mundus totus in maligno positus est. Et scimus, quoniam filius dei venit et dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum deum et simus in vero filio eius. Hic est verus deus et vita aeterna.

105 Haec, fratres, praedicate, haec omnibus nuntiate, vos vero invicem exhortamini, perfecti estote semperque gaudete, pacem autem sectamini in omnes, et deus pacis et dilectionis erit vobiscum. Deo autem et patri nostro gloria in saecula saeculorum. Amen. 7